Тем, что эта книга дошла до Вас, мы обязаны в первую очередь библиотекарям, которые долгие годы бережно хранили её. Сотрудники Google оцифровали её в рамках проекта, цель которого – сделать книги со всего мира доступными через Интернет.

Эта книга находится в общественном достоянии. В общих чертах, юридически, книга передаётся в общественное достояние, когда истекает срок действия имущественных авторских прав на неё, а также если правообладатель сам передал её в общественное достояние или не заявил на неё авторских прав. Такие книги – это ключ к прошлому, к сокровищам нашей истории и культуры, и к знаниям, которые зачастую нигде больше не найдёшь.

В этой цифровой копии мы оставили без изменений все рукописные пометки, которые были в оригинальном издании. Пускай они будут напоминанием о всех тех руках, через которые прошла эта книга – автора, издателя, библиотекаря и предыдущих читателей – чтобы наконец попасть в Ваши.

**Правила пользования**

Мы гордимся нашим сотрудничеством с библиотеками, в рамках которого мы оцифровываем книги в общественном достоянии и делаем их доступными для всех. Эти книги принадлежат всему человечеству, а мы – лишь их хранители. Тем не менее, оцифровка книг и поддержка этого проекта стоят немало, и поэтому, чтобы и в дальнейшем предоставлять этот ресурс, мы предприняли некоторые меры, чтобы предотвратить коммерческое использование этих книг. Одна из них – это технические ограничения на автоматические запросы.

Мы также просим Вас:

- **Не использовать файлы в коммерческих целях.** Мы разработали программу Поиска по книгам Google для всех пользователей, поэтому, пожалуйста, используйте эти файлы только в личных, некоммерческих целях.
- **Не отправлять автоматические запросы.** Не отправляйте в систему Google автоматические запросы любого рода. Если Вам требуется доступ к большим объёмам текстов для исследований в области машинного перевода, оптического распознавания текста, или в других похожих целях, свяжитесь с нами. Для этих целей мы настоятельно рекомендуем использовать исключительно материалы в общественном достоянии.
- **Не удалять логотипы и другие атрибуты Google из файлов.** Изображения в каждом файле помечены логотипами Google для того, чтобы рассказать читателям о нашем проекте и помочь им найти дополнительные материалы. Не удаляйте их.
- **Соблюдать законы Вашей и других стран.** В конечном итоге, именно Вы несёте полную ответственность за Ваши действия – поэтому, пожалуйста, убедитесь, что Вы не нарушаете соответствующие законы Вашей или других стран. Имейте в виду, что даже если книга более не находится под защитой авторских прав в США, то это ещё совсем не значит, что её можно распространять в других странах. К сожалению, законодательство в сфере интеллектуальной собственности очень разнообразно, и не существует универсального способа определить, как разрешено использовать книгу в конкретной стране. Не рассчитывайте на то, что если книга появилась в поиске по книгам Google, то её можно использовать где и как угодно. Наказание за нарушение авторских прав может оказаться очень серьёзным.

**О программе**

Наша миссия – организовать информацию во всём мире и сделать её доступной и полезной для всех. Поиск по книгам Google помогает пользователям найти книги со всего света, а авторам и издателям – новых читателей. Чтобы произвести поиск по этой книге в полнотекстовом режиме, откройте страницу `http://books.google.com`.

# COELUM HERALDICUM,

*Quod,*

rejecta ſtructuræ veteris abſurditate,

cognitu tanto facilius,

fœdam paganorum idololatriam,

in Chriſtianos huc usque redundantem,

ARMIS EVROPÆORVM STATVVM

ſupprimit,

*iisque*

Gloriam DEI ſolius

enunciat;

Ejusque Vicarios in his Terris

non intermoritura celebritate proſequitur.

*Studio*

*ERHARDI VVEIGELI,*

*Conſil. Palat. Prof. Publ.*

*JENÆ,*

Apud JOH. BIELKIUM.

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

Digitized by Google

# ORBI EVROPÆO SACRVM.

Digitized by Google

# DEDICATIO.

*Cœlum loquitur!*

Bonum factum, mortales.
Cœli Vindex exoritur,
ut vel hac denique tempeſtate aſſerar
à ferali illa fabularum caligine.
Luminis per terras fons ſum & parens,
tot annis, tanta utilitate uſurpantium:
mihi nox interea inducitur;
nox peſſimi ſtatim ominis,
per tanta ſecula graviſſima,
& vel nunc etiam infamis ad memoriam.
Atque hæc quaſi in vicem mihi eſt
inducta.
Non tu credis? Spectator!
Conditum eram
cum omnia eſſe juberet qui valet omnia,
Lumen ut telluri infunderem,
temporum ſimul ac tempeſtatum non
fallax index,
quibus ſine commodis nec terra ſit
terra futura.



Digitized by Google

Hæc ne ſatis intellexerunt ejus incolæ
quid velint ſibi?
Opificem nimirum agnoſcerent
Dominum,
Majeſtatem ejus vererentur,
ſapientiam adorarent,
celebrarent immenſam ejus bonitatem,
eâ dum uterentur, fruerentur.
Jam iſti ad opera oculos adjiciunt,
animum etiam affigunt ad operum
ſpeciem,
in eaque perinde laudes ſuas cumulant,
& ſui immemores & Creatoris ſecuri,
ac ſi minus quærendus eſſet, minus
colendus,
eorum auctor,
quia feciſſet maxima, pulcherrima.
Alii aliter in hoc ſpatio verſabantur,
ac figuras commentitiâ cogitatione
mille efformabant,
rarò ad memoriam qualemcunque,
plerumque ad proprium facientium
dedecus.
O cœca & abjecta ſtudia!
& quæ hominum fuiſſe ratione utentium
merito dubitares,

niſi,

Digitized by Google

niſi, qui aſtra pro numinibus coluiſſent,
homines etiam,
tantillæ ætatis, ſummæ imbecillitatis,
in deorum nomina allegiſſent.
Veritas nimis manifeſta,
& quod puduit poſteros majorum
deſipientiæ,
jam olim arguit ea flagitia.
quamvis cœlum nondum deoneratum
eſſe
facile videre potuiſſent,
quouſque non & altera fabularum
portenta
loco immerito exigerentur.
Imò auxit cum tempore conatus
infamis,
putaresq; magnitudinem inexplicabilem
immenſæ hominum licentiæ inſervire
propterea oportuiſſe.
Certe nimium iſti ſcelera ſua amarunt,
qui has in oras promota volebant,
& perennare,
quicquid etiam deliraſſent,
& maturius deleri ex memoria videretur:
quaſi quicquam; quod turpe quidem,
mature nimis poſſet perire.

Hæc cum detrimento ſcilicet humano
conjuncta ignorantia eſſet,
Caliſto aſtrorum honorem ſtupro
meruiſſe:
Coronam ejusmodi pretium fuiſſe:
Cygnum adjutorem tanti flagitii:
miniſtrum aquilam:
ac alibi cuſtodem fœdæ pellicis
effigiatum.
quæ omnia
parum foret, ut ſtulta, ridere;
indignari & execrari impietatem
honeſtum quemque oportet animum.
hîc lac ſtagnat Junonis fabularis;
illic puella in ſiliquaſtro mihi
affixa eſt,
atque talia me totum in circuitu
diſtringunt.
Unum ferè Erichthonium video,
quem ingenii præſtantia
& inventorum utilitas commendaret,
cuique ſoli locum de merito hunc
parare ea potuerint:
ac DELTOTVM putes figuratum
ſine dedecore,
& ſi quæ paucula ſunt alia.

quot-

Digitized by Google

quotquot numerantur reliqua,
& mihi & ſuis fictoribus
maximo ſunt dehoneſtamento.
Subſtiterat aliquandiu inſania,
usque dum Antinous adjicitur
auctarium,
Domini ſui deliciæ Antinous,
re tamen vera maximum opprobrium,
ſi recte putamus.
qui ſolus commoneret,
fides ſi deſit alia,
nihil in terris tam oculos fugere &
devotum tenebris eſſe,
quin in cœleſti luce ſtationem mereri
non potuerit
fraudibus improborum & adulatione.
Videtis impiam ſtultitiam,
quæ autem eo eſt revelata,
ut damnetis etiam & projiciatis,
ſi ſatis videatis.
Reſtabat, ut novi huc hoſpites
adducerentur,
ac id non niſi caute & cum prudentiâ,
ne in æterno hoc opere
& veſtrum à poſteritate conſilium non
melius aliquando audiret.



Digitized by Google

Ecce jacta alea eſt
ac ſors quæ potuit optima cecidit,
ut EUROPÆ hic locus dicaretur:
Principi terrarum parti Europæ,
cui & ſua bona vitam præſtant
feliciſſimam,
eamque ornant amplius, cœleſti
fato faciente,
quicquid uſpiam in cœtero omni orbe
commodi eſt & lautitiarum.
Atque hæc Virtuti & Felicitati
ſummorum in ea Principum debentur,
Heroum tanti nominis & gloriæ,
in quantum æſtimari humanum
faſtigium poteſt.
Hos enim demum in illam animi
excellentiam
evexit Numen Sapientiſſimum,
ut &, qui parent, bonū facerent ſeculum,
ſi imperantes viverent optimi.
Horum meritis cœlum ſervandum erat,
nihil enim tam cœlo dignum quam
ſummi ſub cœlo,
nihilque tam armis tantorum dignum,
quam cœlum,
quod ſolum natalis heroum ſedes eſt.

Egre-

Digitized by Google

Egregiam fabricam!
& in qua ſola par eſt cœlum lætari.
dudum hunc mihi honorem habere
homines,
Dudum eam gratiam, oportuiſſet,
indulgere.
ſic factum, ſic natum quaſi ad hæc
eram tentoria.
Qua ſol oritur meus, qua occidit,
lætius, puto, utroque latere radios efferet;
quando & iſte portentorum horror
profligatus eſt,
qui nube lucem infuſcarat
tanto tempore,
& huc jam nomina promota ſunt
quæ vides, Sol, qui vides omnia,
maxima, cariſſima.
Ambabus igitur manibus excipite,
mea ſidera!
tam gratos nobis hoſpites.
Utriſque ulnis amplectimini
cognata Nobis Lumina.
Exoſculamini novos Cœli incolas,
amœna compita noſtra
nunquam amplius deſerturos.



Digitized by Google

Æterna enim ibit hæc mihi conjunctio,
in qua invenio ſemper quod amare
queam,
(nam Conditor noſter auctor amoris;)
ſemper quod vos honorare, mortales,
poſſitis;
(idem Conditor honoris eſt autor,)
ut, quo antiquior conjunctio
eo & gratior futura ſit.

Et ſic
Nunquam non EVROPA celebrabitur,
quia in templo temporis nunc reſidet.
Semper reliquis ſuperior in orbe
dominabitur,
quia ſuper omnia mecum eminet.
Semper ab exteris tuta, pacis inter ſuos,
Chriſti calculo, computabit
h. e. exercebit rationes;
quia tota jam in ſinus maris noſtri
pacifici coaluit.
Hoc ipſo,
nulla non felicitatis affluentia
ſuperabundans,
quam à principio ſemper
enarravi,

DIVI-

Digitized by Google

DIVINI NVMINIS GLORIAM
in omnia denceps tempora
CLARIVS
mecum enarrabit.

*AVTORIS ECHO.*

Reſpuit merito Cœlorum ſtellarumque
dignitas
impura paganarum nomina pariter
& Numina.
Jure gaudet Æther purus,
cognata ſibi Terræ ſidera,
profligatis obſeſſoribus,
proprias, cœli ſideribus tamen
communes,
etiam dum hic verſantur,
occupare ſedes.
Ex æquô gratam ſemper ejus rei
memoriam,
non intermoritura celebritate
viciſſim promittit.
Mihi nihil eſt reliquum,
quam ut
dudum præſumtam hanc cœli mentem
exiguis hiſce pagellis adumbratam potius
quam expreſſam,

VOBIS

Digitized by Google

VOBIS
SERENISSIMA ORBIS EVROPÆI
SIDERA!
qui vivaciſſimis & Majeſtatis & ſapientiæ
radiis
Orbem univerſum illuſtratis,
humillima ſubmiſſione mentis,
exponam,
Veſtræque Protectionis influentiæ
benigniſſimæ
novum hoc opus
devotiſſimâ conſecratione
ſubjiciam.
DEVS VOS SERVET!
Sereniſſimam in Cœli culmine
Lucem Veſtram

Dab. Jenæ è muſeo
d. 8. Martii anno
1688.

*ex imo cœli*
*ſubjectiſſimâ veneratione*
*ſuſpiciens*
Erhardus Weigelius.

DE-

# I.
# DESCRIPTIO GLOBORUM HERALDICORUM.

## (1.) *Enumeratio Defectuum & errorum in antiquis Globis commiſſorum, quos Heraldici Globi ſupplent & emendant.*

§. 1.

QUantum Scholæ triviales à genuina docendi methodo per aliquot abhinc annorum ſecula receſſerint, & viciſſim, qua ratione Scholis illis hac in parte conſuli poſſit, ut juventus ſine tædio, potiùs imi cordis affecta gaudio (decente tamen & ætatibus proportionato) non ſolùm Latinã, Græcam, & Ebraicam, quin & Gallicam, Italicamque Linguas, multò citius quàm vulgò fieri ſolet, intelligere, conſuetas etiam loqui diſcat; ſed etiam ſcientiarum & Virtutis exercitiorum *Artes* ſeminales, vulgò *Liberales* dictas, (*Arithmeticam*, *Geometriam*, *Aſtronomiam*,

&

Digitized by Google

& *Harmonicam*,) quæ penes Sapientes Græciæ, primosque Chriſtianos, loco tranſcendentis Artium ſermocinalium trigæ, cujus pueri ne quidem terminos intelligunt, (loco *Grammaticæ*, *Rhetoricæ* & *Dialecticæ*) pro fundamento ſolido Scholis ſubſtratæ ſuerunt, facilè comprehendere poſſint, & ut juvenes, qui virtutum radicalium habitum, unde reliquæ Virtutes omnes neceſſariō propullulant, per illas artes vel aliud agendo prius acquiſiverunt, eosdem Autores Græcos & Latinos, quos vulgò proponunt, ſine ſcandalo (cùm virtutis hàbitu jam polleant, quo boni non minus in pietate, ac habitu petulantiæ in malitiâ perverſi, indurantur, ne moveri facilè poſſint in contrarium) legere, eosque vel ſine Commentario (cùm jam realia præcipua calleant) facilè intelligere, & ad Literas, Verſus & Orationes conſcribendas adhibere queant; cum hucusque per difficultatem gentilium Autorum impediti, ſub moroſitate Præceptorum, per ſermonis puritatem, impuriſſima vitia (priusquam virtuti adſueverunt,) quaſi jejuno ſtomacho, imbibere coacti, totidem annis vix ac ne vix quidem tria verba fari didicerint: hæc omnia, non tantùm tractatibus quibusdam in lucem emiſſis, ſine præjudicio cujusquam placidè monere, quin & privato ſpecimine, adſtipulante Sacro Conſiſtorio

Jenen-

Jenenſi, Salariumque Præceptori ſuppeditante, comprobare conſultum duxi, quod adeò feliciter hucusque ſucceſſit, ut ſperatus hinc effectus jam vel palpari queat. Utinam & publicè, junctis viribus, idem ageretur, ſtrenuèque continuaretur.

Inter cauſas autem neglectarum aliquot abhinc ſeculis Artium Mathematicarum non poſtemæ ſunt tum Methodi, quam veteres adhibebant in tradendis iis, Difficultas; tùm Inſtrumentorum, quibus utebantur, imperfectiones, & errores. Illi, nempe Methodo, ſatis hoc Seculo proviſum eſt, exactiùs conſcriptis Diſciplinis: modò ne arbitrentur Inſpectores, eâdem, quâ conſcribuntur, methodo docendas etiam eſſe Diſciplinas: cùm docendi methodus, ſi pueri docendi fuerint, methodo conſcribendi ſit contrarius, quod alibi pluribus expoſuimus.

Inſtrumentorum autem defectui mederi, qui Matheſin profitentur, adhuc hodiè ſatagunt omnes. Alii enim ipſam Logiſticam organis olim deſtitutam, regulis ipſisq; bacillis inſtruunt; alii Geometricis operationibus compendia quærunt; multi aſtronomicis inſtrumentis amplitudinem in ipsâ parvitate conciliant, & his ipſis, ut retia Globorum ſtellas juſto loco referant, ex Obſervationibus deducere nituntur. Inter

quos

quos principatum hactenus tenuit, poſt Tychonem & Ricciolum, B. Hevelius, quem ſtrenuè ſequitur Lipſiæ Gottfridus Kirchius, & Norribergæ Georg. Chriſtoph. Eimmartus, qui præcipuè id agunt, ut materiam Globorum internam, ipſas np. ſtellas tum completiore numero tum exactiore ſitu nobis exhibeant. Ipſam autem Globorum ſtructuram formalem, ſanè perquam erroneam & deficientem, hactenus, quod ſciam, nemo eſt aggreſſus. Sunt autem Globorum vulgarium errores & defectus vel naturales vel morales. Naturalium præcipui ſunt errores, quibus contra Naturam vulgò peccatur:

(1.) Quòd Horizon columnulis ſuffultus, mundum, in nudo ſpatio liberè pendentem, quaſi pilis innixum referat: eoquè prorſus immoto Globus à Boreâ in Auſtrum, & reciprocè movendus ſit, ut diverſam à priore Sphæram obtineas, cùm tamen Cœlum eat. non moveatur, ipſaqué potiùs terminatio viſus noſtri, ad confinia Cœli Terræque circumſpicientis, eam patiatur variationem.

(2.) Quòd deficiant Horarii, Circulique Diurni, quorum præcipui quídem (Æquinoctialis, Tropici, Polares) ſuperficiei Globi ſunt inſerti, firmiter tamen, ut unà cum ſtellis circumcurſitent, cùm tamen viam

cur-

curſui præſtare, & eatenus quieſcere teneantur.

(3.) Quòd Zodiacus, cujus initio principium Æquatoris jungitur, cœleſti ſuperficiei, ſtellisque eidem inſcriptis, cohæreat, (& in terreſtri Globo certus Eclipticæ ductus certis Terræ locis contra veritatem ſemper adhæreat) quo fit, ut Globus vulgaris, etiam exactiſſimè politus, annorum 50. ſpatio mox uno ferè gradu deficiat, cum ſtellæ fixæ 72. annis uno gradu poſtponantur, ipſumque Principium Arietis intervallo tanto ſeriem præcedat, quod Aſtronomi Præceſſionem æquinoctiorum dicunt.

(4.) Quod ſola Convexitas Globi ſtellas referat, cum eæ tamen ex concavo Mundi nobis appareant in Naturâ.

His erroribus omnibus medentur Globi noſtri, inde dicti Correcti. Quibus inſuper non pauca, melioris inſtructionis ergò, ſunt adjecta. Nam

(1.) Globus perfectâ Sphærâ armillari munitus eſt, eaque triplicis ordinis, pro triplici ratione mobilium, & immobilium, ſubjectorum.

(2.) Globus, armillis munitus, tutus eſt à contrectatione, nihilominus ad motum repræſentandum pronus.

(3.) Loco circelli circa polum horas deſignantis, amplior in tantum, quantus totus

Globus eſt, ultrò ſe offert, qui vel in horaria minuta dividi poteſt.

(4.) In Globo Cœleſti ſeptem orbitæ Planetarum ordine motuque ſuo conſpiciuntur.

(5.) Coronidis inſtar eſt *Index ſtellarum digitus*, quo ſolus ſine manuductione ſtellas in Cœlo ſibi familiares reddere quisque poteſt.

(6.) Globus terreſtris, Chartæque gibbæ, quarum ſingulæ ſingulas Globi portiones referunt, gaudent *Indice Plagarum mobili*, quo à tot Rhombis inſcribendis liberatur Cœli Terræque ſuperficies.

(7.) Intra Globum Phænomena ſubterranea comparent.

(8.) Taceo quæ de materiâ conſtantiori, deque Curioſitatibus aliis in medium afferri poſſent.

Defectus moralis (vel potiùs exceſſus) conſiſtit in ſuperſtitioſis imaginibus, quibus ſtellarum diſpoſitio vulgò conſignatur, ex quibus Aſtrologi ſpecioſè mentiuntur. Quarum loco Ideæ prorſus innoxiæ, jucundæ tamen & autoritatis plenæ, Cœlum ornant. Ex Armis nim. Europæis deſumptæ partes præcipuæ magisque conſpicuæ, quæ non tantum Regionum, quas notant, ſitum, quantum fieri potuit, congruè referunt, ſed & Configurationi ſtellarum ſuarum proximè re-

Digitized by Google

reſpondent, adeoque citra præjudicium ullius Cœlum occupant, ſuppreſſis antiquis, leviter tamen, antequam prorſus aboleantur, adhuc conſpicuis Aſteriſmis. Utrosque verſibus his memorialibus ſtrictè proſequutus ſum. Diductionem ampliorem Abacus ſubjectus in ſe complectitur.

## *(2.) Verſiculi memoriales Aſteriſmorum.*

### *Aſteriſmi Septentrionales.*

URſa minor rotulis Curonia ſtemmata præfert,
Temonem pedibus Scythici ſuppreſſa Draconis.
Major ab axe fugit pulſata Proboſcide Dani.
Obducit Cepheum Cimbrorum curva Bipennis.
Annulus hinc Sveciæ triplexque Corona Bootem
Supprimit. Herculeo Polonus acinace pugnat.
Nec Lyra ſed Cythara eſt, qua magna Britannia cantat.
Saxoniæ RutamCygnus reveretur,& Enſes,
Ipſaque cœlorum facies colit, ecce,Patronos.
Sceptrifer hinc Aquilam Brenno ſibi vendicat. Albo

Pegaſus indomita cedit cervice Caballo.
Cedit & Aſcaniis Coma:cedit Equuleus Haſſis.
Inque Palatinos, Bavaroſque, redundat ab axe
Copia, quæ cornu pleno, ceu Caſſiopeja
Imminet Andromedæ per fortem Perſea ſalvæ.
Trilaterum Artifices geſtat claſſemque Scholarum.
Geſtat Erichthonius fragrantia Lilia, quæ vel
Pardalis excelſæ præupta cacumina tangunt.
Caſtoris at Pectus velat Lotharingicus Heros.
Figit Agrippiadeſque Crucem Medicorum Ophiucho
Torquet Serpentem Moguntius Apſis in orbem.

## *Aſteriſmi Zodiacales.*

Zodiaci caput eſt (Aries) vexillifer Agnus.
Plejades in Tauro cedunt Mercantibus; inde
Vulgus obit Cancrum, tria ſed Caſtella Leonem,
Quæ vel Jordanem ſuperant excelſa, retundunt.
Virgo Portugalas ſeptenis Turribus effert.

Libra-

Digitized by Google

Libraque Præſulibus ſubſtat, juſtique Patronis.
Scorpio primani Rectores Cardinis effert.
Cruxque Sagittiferum, Sophiæ qui ſignat acumen,
Deprimit. Atque Caper Naſſovica Cornua ſufflat.
Amphoram & os piſcis Leo Belgicus occupat; Ipſos
Piſces anticipat Dux Wurtenbergus utrosque.

## *Aſteriſmi Auſtrales.*

Pontifici miro ſe ſubdit ſidere Cetus,
Teutonico contra Turcas Equite undique tutus.
Rigel & Aldebaran fert Sacri Cæſaris Enſem;
Sirius & Procyon Sceptrum; Baculusque Jacobi,
Quod penes Auſtriacos: Aquilam præluſtris Orion
Siſtit, quæ Cauda Leporem, pedibusq; Columbam,
Deturbat, quam Crux duplicata ſubintrat. At Hydræ
Vertex Helvetios, Modenam frons, Mantuam at ora
Et Parmam: Pectus Venetos; Venterque Melitam;



Digitized by Google

Globus eſt, ultrò ſe offert, qui vel in ho[illegible]
minuta dividi poteſt.

(4.) In Globo Cœleſti ſeptem orbit[illegible] netarum ordine motuque ſuo conſp[illegible] tur.

(5.) Coronidis inſtar eſt *Index* [illegible] *digitus*, quo ſolus ſine manuductione [illegible] in Cœlo ſibi familiares reddere quiſq[illegible] eſt.

(6.) Globus terreſtris, Chartæque [illegible] quarum ſingulæ ſingulas Globi p[illegible] referunt, gaudent *Indice Plagarum* [illegible] quo à tot Rhombis inſcribendis [illegible] Cœli Terræque ſuperficies.

(7.) Intra Globum Phænomena [illegible] ranea comparent.

(8.) Taceo quæ de materiâ con[illegible] deque Curioſitatibus aliis in me[illegible] ri poſſent.

Defectus moralis (vel potius [illegible] conſiſtit in ſuperſtitioſis imaginibus [illegible] ſtellarum diſpoſitio vulgò conſign[illegible] quibus Aſtrologi ſpecioſè men[illegible] Quarum loco Ideæ prorſus innoxi[illegible] dæ tamen & autoritatis plenæ, [illegible] nant. Ex Armis nim. Europæis [illegible] partes præcipuæ magisque conſ[illegible] non tantum Regionum, quas not[illegible] quantum fieri potuit, congrue [illegible] & Configurationi ſtellarum ſuarum [illegible]

reſpondent, adeoque citra præjudicium ullius Cœlum occupant, ſuppreſſis antiquis, leviter tamen, antequam prorſus aboleantur, adhuc conſpicuis Aſteriſmis. Utroſque verſibus his memorialibus ſtrictè proſequutus ſum. Diductionem ampliorem Abacus ſubjectus in ſe complectitur.

## (2.) *Verſiculi memoriales Aſteriſmorum.*

### *Aſteriſmi Septentrionales.*

URſa minor rotulis Curonia ſtemmata præfert,
Temonem pedibus Scythici ſuppreſſa Draconis.
Major ab axe fugit pulſata Proboſcide Dani.
Obducit Cepheum Cimbrorum curva Bipennis.
Annulus hinc Sveciæ triplexque Corona Bootem
Supprimit. Herculeo Polonus acinace pugnat.
Nec Lyra ſed Cythara eſt, qua magna Britannia cantat.
Saxoniæ Rutam Cygnus reveretur, & Enſes,
Ipſaque cœlorum facies colit, ecce, Patronos.
Sceptrifer hinc Aquilam Brenno ſibi vendicat. Albo



Digitized by Google

Pegaſus indomita cedit cervice Caballo.
Cedit & Aſcaniis Coma:cedit Equuleus H[illegible]
ſis.
Inque Palatinos, Bavaroſque, redunda[illegible]
axe
Copia, quæ cornu pleno, ceu Caſſiopeja [illegible]
Imminet Andromedæ per fortem Perſea [illegible]
væ.
Trilaterum Artifices geſtat claſſemque Sc[illegible]
larum.
Geſtat Erichthonius fragrantia Lilia, quæ [illegible]
Pardalis excelſæ prærupta cacumina ta[illegible]
gunt.
Caſtoris at Pectus velat Lotharingicus H[illegible]
ros.
Figit Agrippiadesque Crucem Medicor[illegible]
Ophiucho
Torquet Serpentem Moguntius [illegible]
orbem.

## *Aſteriſmi Zodiacales.*

Zodiaci caput eſt (Aries) vexillifer Ag[illegible]
Plejades in Tauro cedunt Mercantibus [illegible]
de
Vulgus obit Cancrum, tria ſed Caſt[illegible]
nem,
Quæ vel Jordanem ſuperant excelſa, [illegible]
dunt.
Virgo Portugalas ſeptenis Turribus [illegible]

Læta

Libraque Præſulibus ſubſtat, juſtiq́ue Patronis.
Scorpio primani Rectores Cardinis effert.
Cruxq́ue Sagittiferum, Sophiæ qui ſignat acumen,
Deprimit. Atque Caper Naſſovica Cornua ſufflat.
Amphoram & os piſcis Leo Belgicus occupat; Ipſos
Piſces anticipat Dux Wurtenbergus utrosque.

## *Aſteriſmi Auſtrales.*

Pontifici miro ſe ſubdit ſidere Cetus,
Teutonico contra Turcas Equite undique tutus.
Rigel & Aldebaran fert Sacri Cæſaris Enſem;
Sirius & Procyon Sceptrum; Baculusq́ue Jacobi,
Quod penes Auſtriacos: Aquilam præluſtris Orion
Siſtit, quæ Cauda Leporem, pedibusq; Columbam,
Deturbat, quam Crux duplicata ſubintrat At Hydræ
Vertex Helvetios, Modenam frons, Mantuam at ora
Et Parmam: Pectus Venetos; Venterque Melitam;



Digitized by Google

Et corvus Genuam; Mediceaque fid[illegible]
Cratêr;
Cauda Leoninam faciem nunc eve[illegible]
alis.
Triquetrum Megâlopurgos; Apis Oe[illegible]
genasque;
Indus Badenſes; ſeptemque Cham[illegible]
colles;
Vicinos Dorado, Amphibion, admitti[illegible]
omnes
Inde Duces orbis ſimul excipit inclyta Phe[illegible]
nix.
Svarzburgis Toucan cedit; fert Gru[illegible]
Ruthenos.
Centaurus Comites omnes; Pavoque Ba[illegible]
nes.
Eridani Tractus præclaras devehit Ur[illegible]
bes.
Utraque Nobilitas per Lactea ſidera ſplen[illegible]
det.
Falcatum cornu Lunæ vela Africa p[illegible]
dit.
Tartaricos Aſiæ contingit Noctua [illegible]
nes.



Digitized by Google

# (3.) *Abacus Aſteriſmorum nov-antiquorum.*

## *Aſteriſmi Septentrionales.*

| *Antiqui* | *Novi* | *Inſignia* |
|---|---|---|
| Plauſtri minoris Rotulæ | Stapeda | Curoniæ |
| Temo plauſtri min, Draco | Pes Draconis Draco | Moſcoviæ |
| Urſa major | Elephas | Daniæ |
| Cepheus | Curva Bipennis | Holſatiæ |
| Bootes & Corona. Acturus eſt | Coronæ tres. Annuli gemma | Sueciæ |
| Ophiuchus | Crux | Colonienſ. |
| Serpentis flexus | Rota. | Mogunt. |



Digitized by Google

Et corvus Genuam; Mediceaque ſidera Cratêr;
Cauda Leoninam faciem nunc evehit alis.
Triquetrum Megâlopurgos; Apis Oettigenasque;
Indus Badenſes; ſeptemque Chamæleo colles;
Vicinos Dorado, Amphibion, admittit: ut omnes
Inde Duces orbis ſimul excipit inclyta Phœnix.
Svarzburgis Toucan cedit; fert Grusque Ruthenos.
Centaurus Comites omnes; Pavoque Barones.
Eridani Tractus præclaras devehit Urbes.
Utraque Nobilitas per Lactea ſidera ſplendet.
Falcatum cornu Lunæ vela Africa pandit.
Tartaricos Aſiæ contingit Noctua fines.

(3) *Aba-*

Digitized by Google

# (3.) *Abacus Aſteriſmorum nov-antiquorum.*

## *Aſteriſmi Septentrionales.*

| *Antiqui* | *Novi* | *Inſignia* |
|---|---|---|
| Plauſtri minoris Rotulæ | Stapeda | Curoniæ |
| Temo plauſtri min, Draco | Pes Draconis Draco | Moſcoviæ |
| Urſa major | Elephas | Daniæ |
| Cepheus | Curva Bipennis | Holſatiæ |
| Bootes & Corona. Acturus eſt | Coronæ tres. Annuli gemma | Sueciæ |
| Ophiuchus | Crux | Colonienſ. |
| Serpentis flexus | Rota | Mogunt. |



Digitized by Google

| *Antiqui* | *Novi* | *Inſignia* |
|---|---|---|
| Hercules | Eques cum diſtricto gladio | Poloniæ |
| Lyra | Cythara | Britanniæ magnæ. |
| Cygnus | Ruta cum Gladiis | Domus Saxonicæ |
| Aquila cum Antinoo & Delphino | Aquila Sceptrigera | Domus Brandeburgicæ |
| Pegaſus | Caballus | Domus Brunſuicenſis & Lüneburg. |
| Coma Berenices | Armata Brachia | Domus Aſcaniæ. |
| Equuleus | Cornua ſignifera | Haſſiæ |

*Anti-*

Digitized by Google

| *Antiqui* | *Novi* | *Inſignia* |
|---|---|---|
| Caſſiopeia | Cornu-Copiæ. | Palatinatus in Communi. |
| Perſeus | Pomum Imperiale | Bavariæ |
| Androme-da | Gazophy lacium | Heidelber-gæ |
| Erichthonius cum Pardali | Lilia tria | Regni Galliarum |
| Triangulum | Circinus & Claſſis | Artificum & Scholarum |

## *Aſteriſmi Zodiacales.*

| | | |
|---|---|---|
| Aries & Apis | Agnus Dei cum Vexillo | Eccleſiæ |



Digitized by Google

Et corvus Genuam; Mediceaque ſid[illegible]
Cratêr;
Cauda Leoninam faciem nunc ev[illegible]
alis.
Triquetrum Megâlopurgos; Apis O[illegible]
genasque;
Indus Badenſes; ſeptemque Cha[illegible]
colles;
Vicinos Dorado, Amphibion, admi[illegible]
omnes
Inde Duces orbis ſimul excipit incly[illegible]
nix.
Svarzburgis Toucan cedit; fert G[illegible]
Ruthenos.
Centaurus Comites omnes; Pavoqu[illegible]
nes.
Eridani Tractus præclaras deve[illegible]
bes.
Utraque Nobilitas per Lactea ſidera ſ[illegible]
det.
Falcatum cornu Lunæ vela Afric[illegible]
dit.
Tartaricos Aſiæ contingit Noc[illegible]
nes.

# (3.) *Abacus Aſteriſmorum nov-antiquorum.*

## *Aſteriſmi Septentrionales.*

| *Antiqui* | *Novi* | *Inſignia* |
|---|---|---|
| Plauſtri minoris Rotulæ | Stapeda | Curoniæ |
| Temo plauſtri min. Draco | Pes Draconis Draco | Moſcoviæ |
| Urſa major | Elephas | Daniæ |
| Cepheus | Curva Bipennis | Holſatiæ |
| Bootes & Corona. Acturus eſt | Coronæ tres. Annuli gemma | Sueciæ |
| Ophiuchus | Crux | Colonienſ. |
| Serpentis flexus | Rota | Mogunt. |



Digitized by Google

| *Antiqui* | *Novi* | *Inſignia* |
|---|---|---|
| Hercules | Eques cum diſtricto gladio | Polon[illegible] |
| Lyra | Cythara | Britan[illegible] mag[illegible] |
| Cygnus | Ruta cum Gladiis | Domus Sa- xonic[illegible] |
| Aquila cum Antinoo & Delphino | Aquila Sceptrigera | Domus Brandebu[illegible] gicæ |
| Pegaſus | Caballus | Domus Bru[illegible] ſuicenſis [illegible] Luneburg[illegible] |
| Coma Bere- nices | Armata Brachia | Domus Aſcani[illegible] |
| Equuleus | Cornua ſignifera | [illegible] |

| *Antiqui* | *Novi* | *Inſignia* |
|---|---|---|
| Caſſiopeia | Cornu-Copiæ. | Palatinatus in Communi. |
| Perſeus | Pomum Imperiale | Bavariæ |
| Andromeda | Gazophylacium | Heidelbergæ |
| Erichthonius cum Pardali | Lilia tria | Regni Galliarum |
| Triangulum | Circinus & Claſſis | Artificum & Scholarum |

## *Aſteriſmi Zodiacales.*

| | | |
|---|---|---|
| Aries & Apis | Agnus Dei cum Vexillo | Ecclesiæ |



Digitized by Google

| *Antiqui.* | *Novi* | *Inſignia* |
|---|---|---|
| Taurus qua Plejades | Tabula Pythagorica | Mercatorum |
| qua Hyades | Corona ſiniſtra bicipitis Aquilæ | Imperii |
| Gemini qua Capita | nomen I.H.S. | Eccleſiaſticorum |
| qua Propoda | Corona dextra bicipitis Aquilæ | Imperii |
| qua Corpora | Pallium Heraldicum | Lotharingiæ |
| Cancer | Præſepe | Agricolarum |
| Leo | tria Caſtella cum Aureo Vellere | Hiſpaniarum |
| Virgo | Septem Turres | Portugaliæ |

*Anti-*

Digitized by Google

| *Antiqui* | *Novi* | *Inſignia* |
|---|---|---|
| Libra cum Serpentis parte priore | Infula cum Gladio & Pedo | Archi- & Epiſcoporum |
| Scorpius | Pileus orn. | Cardinalium |
| Sagittarius | Crux | Trevirenſ. |
| Capricornus | Cornua Poſt. | Naſſoviæ |
| Aquarius & Piſcis auſt. | Leo cum 7. Sagittis | Belgii fœderati |
| Piſces | Piſces Sept. | Würtenberg. |

*Aſte-*

Digitized by Google

## *Aſteriſmi Auſtrales.*

| *Antiqui* | *Novi* | *Inſignia* |
|---|---|---|
| Cetus | Corona tergem. | Pontificis M. |
| | Claves Crux | Teuton. Ord. |
| Orion Cingulum Canis min. maj. Lepus | Aquila biceps Tignum Sceptrum Cauda Aquilæ | Imperii Auſtriæ Bohemiæ Croat. Dalmat. Slav. |
| Columba | Crux dupl. | Hungariæ |
| Hydra | Procurrens in ſpe- | Italiæ cie |
| Caput Hydr. & Collum | Pileus & Arma | Helvetiæ Mutinæ Mantuæ Parmæ. |

Anti-

| *Antiqui* | *Novi* | *Inſignia* |
|---|---|---|
| Pectus Hydr. | Leo S. Marci | Venetorum |
| Venter Hydr. | Crux brachiis fiſſis | Melitenſium |
| Corvus | Crux Brachiis retuſis | Genuenſium |
| Crater | 6. Pilæ, quarum 4. ſunt Medicea ſidera, binæ mediæ ſignant Orbitam ♃. | Magni Ducis Florentiæ |
| Spica ♍ &c. | Cap. Leon. alatum | Sabaudiæ |
| Triquetrum | Cap. Bubal. | Megalopurg. |
| Apis Indica | Moloſſus | Oettingenſium |

*Anti-*

Digitized by Google

| *Antiqui* | *Novi* | *Inſignia* |
|---|---|---|
| Indus | Corn. Scarab. | Badenſium |
| Chamæleo | 7. Colles | Transſylv. |
| Dorado | Arma | Walach. Moldav. |
| Phœnix | Diadema | Priucipum |
| Centaurus | Corona | Comitum |
| Toucan | Corn. Cerv. | Suartzb. |
| Grus | Grus | Ruthen. |
| Pavo | Corona | Baronum |
| Galaxia | Arma | Nobilitatis utriusque |
| Eridanus | Arma | Civitatum Imperii |
| Navis | ☽. falc. | Turcarum |
| Hydra min. | Noctua | Tartarorum. |

*Salvo jure addendi,*
*relictis hinc inde Sparſis*
*etiam præclaris, in*
*hunc uſum adhibendis.*

NOTA

Digitized by Google

## NOTA.

Zodiacales Aſteriſmi priſtini, tunc ubi ſi-milibus Eclipticæ dodecatemoriis incumbebant, quæ vulgo *ſigna* dicuntur κατ' ἐξοχὴν, his ipſis ſignis nomen meritò dederunt, juxta verſiculos

♈ ♉ ♊ ♋ ♌
Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo,
♍
Virgo.
♎ ♏ ♐ ♑
Libraque Scorpius, Arcitenens, Caper,
♒ ♓
Amphora, Piſces.

Hodie verò ſynonymi Dodecatemoriis Aſteriſmi ſinguli ſingula ſua Dodecatemoria dereliquerunt, quilibet Aſteriſmus motu proprio verſus ortum vicini ſui locum qui ſequitur ingreſſus eſt, & viciſſim ipſa Dodecatemoria tanto motu verſus occaſum (in anteriora) proceſſerunt, & Aſteriſmos ſibi cognomines eat. anteceſſerunt, qui motus vulgo *Præceſſio* dicitur *Æquinoctiorum*. Interea Veterum Aſteriſmi Zodiacales nomina ſua priſtinis ſuis ſedibus reliquerunt, quæ propterea deinceps hodieque non, ut olim, Aſteriſmos certos notarunt; ſed nudos Eclipticæ tractus triginta graduum i. e. duodeci-

decimas partes Eclipticæ, *Dodecatemoria* dictas, quibus loca Planetarum, ipſarumque fixarum, ſecundum longitudinem deſignantur. His itaque, tanquam receptis nominibus technicis, inpoſterum eo ſenſu ſemper uti tuto poſſumus in definiendis locis ſtellarum, quando Zodiacales Aſteriſmi non niſi recentibus nominibus indigitantur, quod ſint:

Agnus, Merx, Patres, Plebs; Hiſpalis, & Luſitani;
Præſul, Cardo, Trevir, poſt Cornu, Belgaq; Piſces.

# (4) PECULIARIA PANCOSMI.

1. *Pancoſmus eſt Machina totius Mundi Phænomena, vel centenis ex parte concava ſpectatoribus ſimul, ad vivum repræſentans.*

I.

FOrnix Machinæ circumferentiâ 32. pedum, ſextantibus in ampliſſimæ Sphæræ modum affabrè compoſitis, concavitate ſuâ ſtellas, *luce ſcintillante* micantes, ordine & ſitu naturali ſiſtit, diurnis æquè ac nocturnis horis quavis tempeſtate conſpicuas: Aſteriſmorum imaginibus etiam in obſcuro

pro

pro faciſimâ ſtellarum diſcretione quodammodo comparentibus, ita tamen, ut naturalem Cœli ſereni formam è fornice velut ad vivum elucentem (quali Brumæ temporibus illuni nocte, cœlo nubibus & nebulis deſtituto, jucundiſſimâ contemplatione fruimur,) nequaquam turbent.

2. Incumbit fornix, ſeorſim mobilis, variabilium nubium coronæ, quam, ſi placet, ſuſtentant Statuæ duodecupedales, una *Herculis*, altera *Palladis*.

3. Remoto ſegmento ſphæris obliquis ſemper occultato, Cœli Cavitas *magnæ hominum turbæ* recto pede accedenti, ſtanti, conſidenti, recedenti, patet: hemiſphærio ſupra Horizontem ſtellis vivâ luce comparentibus conſpicuo, altero infra Horizontem in obſcuro latente. Gradibus tamen, quot placuérit, vel in centrum usque continuatis, pavimentum ſtratum altiorem ſtationem gradatim ſuppeditat, & in ſummo *Sedem eminentem* exhibet.

4. Moventur ſtellæ tum *Fixæ*, tum *Planetæ*, motu quæque ſuo, Spectatorum ingreſſu, egreſſúve, ſeſſione ſtationéve, non impeditis.

5. In Centro Pancoſmi *Terræ Globus* minori formâ ſeorſim tum *Hydrophylacia* pro meteoris aëreis, tum *Pyrophylacia* continet, & in his ignes ſubterraneos fovet, qui per



Digitized by Google

Vulcanos tum ſeptentrionis in monte Hecla; tum meridiei per Veſuvium, Ætnam, Strongylum &c. orientis item in Inſulis Indiæ, & occidentis in Americâ, gratas fuligines, & interdum flammas, jucundiſſimo ſpectaculo emittunt.

6. Aulæis coopertâ machinâ comparent *Terricolarum ſpecies* optico artificio mobiles, quaſi viverent, & Antipodes capite deorſum, pedibus ſurſum, vergentes.

7. *Ventus*, ex quacunque plaga placuerit, ſpirat, gratumque præſtat Spectatori refrigerium.

8. Meteora: *Tonitru*, murmure tamen minus terribili, velut è longinquo veniens; *Fulgur, Pluvia, Grando*, quoties placuerit, in ſpeciem præſto ſunt.

9. Convexitas *terreſtris Globi regiones*, maria, regna, climata, zonas, accuratè diſtinctas exhibet, ita tamen ut ipſas quoque ſtellas fixas *novo Cœlum* pro memoria felicius & utilius *in Aſteriſmos diſtribuendi modo* clarè ſatis exprimat.

10. Circulis externis & inprimis Horizonte variabilis eſt Pancoſmus, ut quamcunque *Sphæram*, puta *Rectam*, *Obliquam* qnantamcunque, & *Parallelam* referat.

11. Parietibus arctiùs incluſus & ad pavimentum depreſſior Pancoſmus *Muſeum* gratiſſimum exhibet, quod lucis diurnæ copiam per

per feneſtras admittit, ſubſelliis tantùm ex pavimento, ſine Sphæræ contactu, conſtantiſſimè firmatis.

12. Tota Machina diſcretis conſtat partibus, ut per conſuetas portas, quò placuerit, transferri commodè poſſit.

# Le Monde Univerſel.

1.

LA Machine a trente deus pieds de circonference, elle eſt composée en façon d'une Sphære tresample, & couverte de certaine matiere, elle fait voir dans ſa Concavité les étoiles brillantes de Lumiere par une Invention tirée de l'Optiqve, chacune en ſon ordre, & en ſa Situation naturelle, & on les peut méme facilement appercevoir a toutes les heures du jour & de la nuit, ſoit que le Ciel ſoit couvert, ou qv' il ne le ſoit pas, & de plus afin de pouvoir mieus diſcerner les figures des aſteriſmes, & de toutes les étoiles, qui les compoſent, on peut les contempler comme dans l'obſcurité (tout ainſi, qv'en Hyver elles ſe præſentent agreablement a notre veüe, lorque le Ciel eſt ſerain, & que la Lune ne luit point) mais en ſorte cependant, qve cette obſcurité ne puiſſe empécher de regarder en meme tems la forme naturelle du Ciel ſerain, qve l'on peut facilement contempler de toute l'enceinte de céte Machine.

 2. Céte

2. Céte Machine, qvi ſe peut mouvoir ſeparément, eſt appuyée ſur diverſes nuées qvi forment comme une Couronne de Lys, ſoutenues par deus ſtatues de huit pieds, l'une de Hercule, & l'autre de Pallas.

3. Qvand on ôte le Segment, qvi eſt caché en toutes les Sphæres obliqves, le Ciel peut étre veu par un grand nombre de Perſonnes, ſoit, qv'ils en approchent de plein pied, ou qv'ils ſoient debout ou aſſis, ou méme qv'ils reculent en arriere, & alors l'Hemiſphære au desſus de l'Horizon paroit tout couvert d'Etoiles tresluiſantes, & l'autre au desſous de l'Horizon demeure caché dans l'obſcurité, y ayant cependant autant de degrés, qve l'on veut, continués jusqve au centre, afin de pouvoir monter ſans peine jusqve au lieu le plus eminent de la Machine.

4. Toutes les Etoiles tant le fixes, qve les Planetes, ſont meües chacune ſelon leur propre mouvement, ſans qve elles en ſoient empechées, ny par l'entrée, ny par la ſortie des ſpectateurs, ny méme lorqv'ils ſont aſſis, ou qv'ils demeurént debouts.

5. Dans le Centre de céte Machine il y a ſeparement un petit globe de la terre, qvi contient un reſervoir d'eau, pour les meteores de l'air, & un autre de feu, pour les feus ſouterains, lesquels par les Voulcans du

du Septentrion de la Montagne d'Hecla, par ceus du Midy, du Veſuve, de l'Ætna & du Stroyle &c. par ceus de l' Orient des Isles des Indes, & enfin par ceus de l' Occident de l' Amerique, pouſſent en l' air des Vapeurs & des fumées agreables, & qvelqve fois méme des flammes, qvi raviſſent les Spectateurs en admiration.

6. Quand la Machine eſt couverte de qvelqve Voile épais, on peut voir les figures de toute ſorte de Nations, qvi ſe meuvent par une invention d' Optiqve, & qvi marchent comme s'ils vivoint, & on voit méme les Antipodes, ayans la Téte en bas, & les pieds en haut.

7. Le Vent ſouffle, de qvelle partie du monde qve l'on veut, & donne un agreable refraichiſſement aus Spectateurs.

8. On peut auſſi toutes les fois qve l'on veut, imiter toute ſorte de Meteors, comme le Tonnerre, mais avec un ſon moins terrible, & comme venant de loin, l'Eclair, la Pluye & la Grêle.

9. Le deſſus du Globe terreſtre repreſente les Provinces, les Mers, les Royaumes & les Zones fort exactement diſtingvées, en ſorte cependant, qve le Ciel faſſe clairement appercevoir les Etoiles fixes, & cela par la nouvelle maniere de partager les Etoiles



Digitized by Google

en Aſteriſmes, afin d'ayder plus heureuſement la memoire.

10. La Machine eſt diverſifiée par les Cercles exterieures, & particulierement par l' Horizon, de maniere, qve elle peut repreſenter toute ſorte de Sphære, comme la Droite, la Parallele, & toutes les Obliqves.

11. Etant miſée dans un petit appartement, & abbaiſsée pres du plancher, elle peut ſervir d' un Cabinet a etudier, qvi prend ſon jour par les feneſtres, & on peut méme y mettre de chaiſes & une Table ſans toucher aucunement a la Sphære.

12. Toute céte Machine eſt composée de diverſes parties, qvi ſe peuvent demonter, afin d' etre plus commodement tranſportées par les portes ordinaires, dans tous les lieus, ou on trouvera bon, de la mettre.

II.

# USUS GLOBORUM HERALDICORUM.

## PROPOSITIO I.

*Conſtitutionem Cæli circa Terram generaliter diſcernere.*

1.

IN Globis principalibus, aperto cœlo; vel in Sphæris armillaribus, ubi Mundus ipſâ ſtru-

ſtructurâ patet, reſpice medio loco conſtitutum Globum Terreſtrem, utroque Axe, Zodiaci nim. & Æquatoris, transfixum, & vorticibus ætheris ( quem aër noſter circa Globum ipſiusque partes refert ) cinctum eique involutum, quod diſcretionis fundamentum eſt.

§. 2.

Reſpice totius Sphæræ Mundi quaternas Sphæras partiales, ambientes ſe mutuo, circa Terram, quarum prima Planetarum eſt ſeptem orbibus interſtincta; remotiores Sphæræ partiales reliquis debentur vel mobilibus vel immobili ſpatio, cui tandem omnia deferuntur.

§. 3.

Orbium proximus circa Terram eſt orbis Lunæ; remotior ipſique & concentricus eſt Orbis Solis, qui circa ſe centrum reliquorum orbium ſuſtinet, & proxime quidem Mercurii; porrò Veneris, Martis, Jovis, Saturni. Quod ſi Copernicum ſequi placeat, manibus retracta compage corporum mundanorum alienâ luce (nempe Solis luce) ſpectabilium, ipſum Solem vides in centro Mundi quieſcentem, quem proximè Mercurii & Veneris orbes ambiunt; Utroſque orbis Terræ, Magnus vulgò dictus cingit, qui Terram circumferentia ſua, Lunam Epicyclo circa Terram, geſtat:

 cui

cui Martis orbis (qui Terrâ quieſcente Solis orbem perfringit) ut & orbis Jovis cum ſatellitibus quatuor in totidem Epicyclis, & orbis Saturni cum annulo Lunulisque ſuis, parallelo ductu circumpoſiti conſpiciuntur.

§. 4.

Secunda Sphæra Mundi partialis circa Terram eſt Sphæra Fixarum, quæ cum inter ſe certam & ſemper quidem eandem ſervent diſtantiam, certis imaginibus tum antiquis (qua potiorem partem obſcœnis), tum novis, iisque jucundiſſimis æquè ac ipſi Cœlo congruis, in agmina nominata, quæ dicuntur Aſteriſmi, neceſſariæ diſcretionis gratiâ diſtributæ, ſecundum Eclipticæ ductum motu proprio ſimul, tanquam acies inſtructa, lento tamen gradu progrediuntur, ita quidem, ut annorum ſeptuaginta ſpatio vix per unum gradum hoc motu poſtponantur, quando ſingulis diebus motu primo cum Planetis totoque Cœlo ab ortu in occaſum ſupra Terram, & inde ſub Terra viciſſim in ortum, convertuntur.

§. 5.

Tertia Sphæra Mundi partialis eſt *Sphæra Cœli* ſeu *Auræ æthereæ*, cui Corpora mundana omnia velut innatant, ipſa verò cum circulis ad eum pertinentibus eat. quieſce-

re

re concipienda venit, quatenus eidem innatantia corpora motu ſecundo per eam moventur. Ejus tantum terni circuli cum armillis proſtant in Globis minus principalibus, bini nempe principales, *Æquator* & *Zodiacus*; & unus in transverſum utrique ſuccenturiatus, nempe *Colurus* ſolſtitiorum, qui tranſit tum per polos mundi motu primo mobilis (cujus motûs rationem medius hoc motu Cœli tractus, *Æquator*, refert) tum per motus ſecundi polos (cujus viam Zodiacus ſeu faſcia Zodiacalis, ejusq; medius tractus linearis *Ecliptica* dictus, exhibet) quem utrumque principalem circulum dictus Colurus ad præceſſionem æquinoctiorum exprimendam circumducit. Et hæ partialium Sphærarum Mundi ternæ cum circulis inſcriptis ſibi, Terrâ ſtante, *mobiles* dicuntur: motâ Terrâ fixarum Sphæra redditur immobilis.

## §. 6.

Quarta verò Mundi Sphæra partialis in hypotheſi quavis eſt immobilis, diciturque *Sphæra Spatii mundani*, cui reliquæ Globi totius armillæ, circuli nim. immobiles, proximè inhærent. Ex quibus aliqui dicuntur immutabiles & invariabiles, quod ubique locorum iisdem ſtellis incumbant, & eandem ad polos mundi rationem Situs

habeant, & dicuntur Paralleli Diurnique Circuli, quorum quilibet peculiari tractui cœli mobilis, ipſisque ſtellis ibi ſitis motuque primo quotidie ſemel circumeuntibus, viam præſtat. Medius omnium, idemque maximus, cum Æquatore quoad Situm coincidens, vocatur *Æquinoctialis*; Cæteri, minores ab hoc ad utrumque latus parallelâ ratione recedunt, inter quos præcipui ſunt *Tropici* & *Polares*.

§. 7.

Reliqui Circuli mundani ſpatii licet ſint immobiles, *mutabiles* tamen & variabiles exiſtunt pro diverſitate loci: quia non ubique locorum eundem, ut ſuperiores, ad easdem ſtellas ſitum toto motus primi tempore retinent. Quorum Principales ſunt *Meridianus* & *Horizon*, reliqui ut ſecundarii, vel per polos Æquatoris ipſiusque Mundi cum *Meridianis* ducti, dicuntur *Horarii*; vel extra polos cadunt in obliquis Sphæris, quorum præcipui ſunt, qui per Cardinales plagas tranſeunt, per Senith quidem & Nadir, *Circuli Verticales*; per Septentrionem & Meridiem in Horizonte *Circuli Poſitionum*; per Ortum & Occaſum *Circuli Inclinatorii*.

PRO-

Digitized by Google

## Propositio II.

### *Motum Cœli circa Terram repræſentare.*

Niſi Globus per Avtomaton analogâ Cœli ratione qſ. ſponte convertatur, quod non niſi Globis principaliſſimis debetur; manibus converte Sphæras Mundi mobiles. Et, ut primum motum (alienum olim dictum) referas, Colurum prehende, move que eum ab Horizontis ortu in occaſum: quem motum ſequitur non tantùm ipſemet Æquator & Zodiacus, ſed etiam fixarum & ipſius ætheris Planetarumq; Sphæra. Pro ſecundo proprioque Motu quodque mobile ſeorſim in orbe ſuo proprio move, directè quidem ab occaſu verſus ortum; retrogradâ verò ratione aliquousque contra: vel Epicyclum circa Centrum ſuum in orbita cum ipſo Centro continuo move, ſuperiore quidem Epicycli parte ſemper ab occaſu in ortum, ſic enim fiet, ut nodulus in Epicyclo, Planetam referens, dum à lateribus Epicycli deſcendit vel aſcendit, ſtare videatur; & dum inter haſce duas ſtationes in inferiore parte movetur, retrogrediatur, motuique primò concurrat.

Quod

Quod ſi Copernicum ſequi deſideras;

1. Qua motum primum, converte Globulum Terræ ſecundum Eclipticæ ductum ſuperiore ſuperficiei parte ſemper ab occaſu in ortum; & apparebit totum Cœlum ab ortu in occaſum moveri

2. Qua ſecundum motum,

(1.) Si Terram ſolo motu primo moveri ſupponis mobilia reliqua ſeorſim move motu ſecundo, ceu diximus:

(2.) Si Terram vice Solis annuo quoque motu moveri ſupponis, revolve Terram in orbe ſuo Magno, ſimiliter ab occaſu in ortum, & ſtante Sole reliqui Planetæ, præciſis Epicyclis dictis, proprio motu ſimplicius incedent.

## PROPOSITIO III.

*Sphæram ſtellarum fixarum ad datum annum dati ſeculi reducere.*

Converte Sphæram circa polos Eclipticæ, donec Colurus alti ſolſtitii numero tot annorum Ante vel Poſt Chriſtum in Sphæræ ſuperficie circa medium expreſſorum incumbat. Vid. Tabella ſequens.

PRO-

Digitized by Google

## PROPOSITIO IV.

*Planetas dato tempori convenienter in Globo repræſentare.*

Ephemeridum intuitu reduc Epicyclum Planetæ ad eum locum, quem dato tempore Planeta poſſidet.

## PROPOSITIO V.

*Globum ad Phænomena cœleſtia repræſentanda præparare.*

Horizontem gradui elevationis polaris in Meridiano, quem locus obſervationis habet, applica; locumque Solis in Ecliptica nota.

## PROPOSITIO VI.

*Circulos diurnos, quos puncta Cœli ſtellarumve centra deſcribunt, quovis die definire.*

Revoluto Globo cogitatione ſequere motum puncti ſtellæve datæ. Verbi gratiâ: punctum alti Solſtitii, (principium Cancri) deſcribit Tropicum Cancri, quem ☉ non egreditur verſus Septentrionem: quod-

Digitized by Google

Quodlibet punctum Æquatoris Æquinoctialem detornat: punctum imi ſolſtitii (principium Capricorni) Tropicum cognominem deſignat, quem Sol non tranſcendit verſus Auſtrum.

## Propositio VII.

*Quo tempore dati diei ſtella data ſitum datum obtineat?*

Revoluto Globo præparato, ſtellam dato ſitui accommoda, ſimul ac vide, quodnam tempus diurnum Locus Solis ad Æquinoctialem perpendicularis oſtendat.

## Propositio VIII.

*Dato tempore diurno, quem Situm ad Meridianum vel ad Horizontem ſtella data teneat?*

Revoluto Globo præparato, donec Sol ad Æquinoctialem perpendicularis datum tempus diurnum oſtendat; & Stella Situm quæſitum exhibebit.

## Propositio IX.

*In quâ Plaga conſiſtat Stella data dato tempore?*

Præparato Globo ſtellæ ſitum datum concilia, juxta Prop. 8. applica Indicem ſtellarum



Digitized by Google

larum arcu ſuo, loco Quadrantis, ad eam ſtellam in eo ſitu, qui definiet in Horizonte plagam Horizontalem; ipſo puncto concurſus cum ſtella, notabit plagam intermediam à Vertice, ſimulque diſtantiam ſtellæ tum à Vertice tum ab Horizonte, quæ dicitur Altitudo ſtellæ.

## Propositio X.

*Stellam quamlibet in Cœlo per Indicem Stellarum in Globo demonſtrare.*

Præparatum Globum ad analogas Mundi plagas ſtatue, magnetis ope quoad plagas Horizontales; ope perpendiculi ſupra Horizontem erecti, quoad plagas Verticales; Dirige Pinnacidia Indicis in ſtellam Cœli datam; & extremitas arcus acu ſuâ ſtellam in Globo tanget. Viciſſim ſtellam in Globo datam per Indicem in Cœlo demonſtrabis, ſi, Globo ad analogas Mundi plagas ſtatuto, Indicis extremitatem acu ſuâ direxeris in ſtellam Globi datam, & in hoc ſitu per Pinnacidia Cœlum ſpectaveris; occurret enim oculo tuo ſtella in Cœlo quæſita.

# TABELLA MOTVS FIXARV[illegible]

| *Annis* | ′ ″ | *Annis* | ° ′ ″ |
|---|---|---|---|
| 1. | 0. 51 | 28. | 0.23.4[illegible] |
| 2. | 1.42 | 29. | 0.24.[illegible] |
| 3. | 2. 33 | 30. | 0.25.[illegible] |
| 4. | 3.24 | 31. | 0.26.[illegible] |
| 5. | 4.15 | 32. | 0.27.[illegible] |
| 6. | 5. 6 | 33. | 0.28.[illegible] |
| 7. | 5. 57 | 34. | 0.28.54 |
| 8. | 6.48 | 35. | 0.29.45 |
| 9. | 7. 39 | 36. | 0.30.36 |
| 10. | 8.30 | 37. | 0.31.[illegible] |
| 11. | 9.21 | 38. | 0.32.[illegible] |
| 12. | 10.12 | 39. | 0.33.[illegible] |
| 13. | 11. 3 | 40. | 0.34.[illegible] |
| 14. | 11.54 | 50. | 0.42.30 |
| 15. | 12.45 | 60. | 0.51.[illegible] |
| 16. | 13. 36 | 70. | 0.59.[illegible] |
| 17. | 14. 27 | 80. | 1. 8.[illegible] |
| 18. | 15.18 | 90. | 1.16.[illegible] |
| 19. | 16. 9 | 100. | 1.25.[illegible] |
| 20. | 17. 0 | 200. | 2.50.[illegible] |
| 21. | 17. 51 | 300. | 4.[illegible] |
| 22. | 18. 42 | 400. | 5.[illegible] |
| 23. | 19.33 | 500. | 7.[illegible] |
| 24. | 20. 24 | 600. | [illegible] |
| 25. | 21. 15 | 700. | [illegible] |
| 26. | 22. 6 | 800. | [illegible] |
| 27. | 22. 57 | 900. | [illegible] |
| | | 1000. | [illegible] |

Digitized by Google

CELEBERRIMÆ VIRTVTIS
VIRO

# DN. ERHARDO VVEIGELIO,

MATHEMATUM IN ILLUSTRI SALANA PROFESSORI SPLENDIDISSIMO,

NOVI AB INGENIO ADMIRABILI ÆTHERIS CONDITORI FELICI,

JENÆ INSOLITIS INVENTIS IMMENSUM DECORATÆ PLAUSUM SPONDET,

SUUM EXEQVITUR

PHILIPPUS MÜLLERUS. D.
CONSIL. ECCL. DVC. SAX. PRÆPOS. ET PRÆLAT. AD B. VIRG. MAGD. SS. THEOL. P.P. IN ACAD. JEN.

MEne, Decus cœli, cœlo fulgentius ipſo,
inclyte Vir, mundi vis rediviva ſacri,

d men-

Digitized by Google

mene tuos auſus, tam vaſtum imitamen, & orbis
tot miracla, ſono nunc celebrare pari?
Obſtupet en! veteris Phœbus moderator olympi,
mortali arte novos ſurgere poſſe polos,
ac ignes præferre ſuos, humanaque divis
æmula. Mox aureo Te ciet ore pater:
*Salve noſter amor, divino macte periclo,*
*alteraq; imperii dein cape ſceptra mei.*
*Dum mea conſpicuum colluſtraut lumina mundum,*
*mentis inadſpicuæ ſit TVVS ORBIS honor.*
*Sol terris vitam, Sol flammas dividat aſtris:*
*VVEIGELIVS diâ pectora luce beet.*



Digitized by Google

# PANCOSMUM
## in Exemplari primo Laminis ferreis
## *ſuper Sphærâ ferrea*
*per Cochleas cohærente,*
Quâ Caſtri Noribergenſis Obſervatorium hodie utitur,
affabrè compoſito,
perſpectâ ſitûs ipſiusque motûs ratione congruâ,
***Carmine gratulatorio***
*proſequitur*
## COLLEGIUM ASTRONOMICUM.

*Naſcere & auguſtis imple conatibus orbem,*
*MACHINA, cui veteri placidas è ſede Camœnas*
*Intulit, & ſparſum mundi jubar auctius omne*



Digitized by Google

WEIGELII *mens alta dedit. Jam cultior æther*
*Illuſtrèm terris faciem, comptosque jugales*
*Phœbus, & inſtructos oſtentat Cynthia currus.*
*Splendida ſtellati propius jam culmina tecti*
*Subſidunt. Ipſum mundi verſatile templum*
*Vultibus accedit noſtris, doctamq́ per artem*
*Proxima gemmifero coram ſpectantur in ære.*
*Sidera, quæ lucem miniatis undique cinnis*
*Mentiri, ut vulgò ſolet, haud didicere, coruſcas*
*Sed radiis flammas noctesq́ dieſq́ revibrant.*
*Aſtra patent, rectoq́ datur pede concava cœli*
*Scandere, & aſſiduis nil quicquam motibus obſtans*
*Panditur acceſſus Turbæ. Spectabimus! Ecce*

*Con-*

Digitized by Google

Conſimili tractu Boreâ ſub parte Triones
Ectypus Orbis habet, ſimili vicina Bootes
Plauſtra tenet, flexuq; Draco vix diſpare gaudet.
Inde Pater Cepheus & ſplendida forma ſuperbæ
Caſſiopes radiant, & Natæ triſtia fata
Auſibus Inachidis ſublata fuiſſe triumphant.
Antinoum ſequitur ſimilis Delphinus, & anguem
Continet hîc etiam mediis Ophiuchus in aſtris.
Gaudet Olor, turbatq; Lyræ modulamina Vultur,
Dum videt Engonaſin veteri mœrore ſolutum
Excutere exuvias & victi terga Leonis.
Pandit in obliquum diſſectus circulus orbem
Arcubus æquatis bis ſex animalia: ad Auſtrum

*Cum* Corvo Crater *ſinuoſis flexibus* Hydræ
*Inſidet, à tergo nimboſum* Oriona *ſequuntur*
*Et* Lepus, *&* Procyon, *& claro* Sirius *aſtro.*
*Fluctuat heroum* Ratis *ardua: labitur undis*
*Corniger* Eridanus *diffuſis, atque ſagittâ*
*Phillyrides rapidi crudelia perforat ora*
*Bruti. Quæ noſtris non conſpiciuntur in oris*
*Aſtra vaporoſo peplo velata teguntur.*
*O! quam Caſſiopen? quem Perſea, dico? Deaſtros*
*Quos gentes olim ritu coluere profano.*
*Comptior eſt hodie ſpeciemque reſumit Olympus.*
*Ægre Caſſiopeja patet præ* Divite Cornu.
*Obruit Andromedam* Theſaurus, *&* Imperialis
*Inachidem* Globus. *Antinoi proſtrata libido.*
*Delphinum* Vultur; *Serpentem* Cruxque, *retundit.*



Digitized by Google

*Subſtat Olor* Gladiis Cytharæ *Lyra cedit.* Equeſtri
*Engonaſin video planè ſuccumbere* genti.
*Pro Cratere* Pilas; *pro Corvo flexibus Hydra*
*Cerno* Cruces *figi. Lepus exul; truncus Orion.*
*Evanuit.* Sceptro *Canis eſt adſtrictus uterque:*
*Heroumq́; Ratis ſub* Lunâ *fluctuat.* Urbes
Cæſaris *Eridanum, ſolo æquum, turribus implent.*
*Scilicet erubuit, nec ferre diutius Orbis*
*Obſcœnum vulgus potuit. Specioſa per Arma*
*Splendentes placuit Superum ſignare Phalanges.*
*Sed quid cœliferos tacita conamine* Motus
*Moliris, quæriſque viam, nutumque jubentis*
*Expectas; age, rumpe moras, ſolitum occipe mundo,*
*Machina, circuitum! Jamjam procedit ab Ortu*

*Fixarum tremulis ſcintillans ignibus agmen.*
*Cui, dùm per medium cœli progreſſibus æquis*
*Tranſit & occiduo meditatur in æquore mergi,*
*Nititur adverſum proprio, ſed diſpare, curſu*
*Turba* Planetarum: *laxâ gyratur in anſâ*
Falcifer: *haut viſis ſtipatus* Juppiter *ardet*
*Igniculis: ſpirasq; trahit* Mavortia *flamma.*
*Præ cunctis fulgere tuos hîc,* Phœbe, *jugales*
*Conſpicio, paribus refluum qui motibus annum*
*Diſpeſcis, currusque Tuos nunc celſus in Arcton*
*Dirigis, humentes nunc te demittis in Auſtros:*
*Alma* Venus, *propiorque comes* Cyllenius *ignis,*
*Ante tuum ſolium retroque vehuntur, & errant*

*Cur-*

Digitized by Google

*Curſibus incertis. Omnes Latonia* Luna
*Mobilitate ſuâ ſuperans modò colligit ignes,*
*Ac ubi jam rubeis implevit vultibus orbem*
*Decreſcens iterum ſua cornua curva reſumit.*
*Hem ſubitò removent ſubeuntia* Nubila *cœlum!*
*Lux fugit, & tumidis aër nigreſcere turbis*
*Incipiens pluvias effuſis ſpargit ab undis.*
*Inde* Tonat, *miſſis hinc* Fulgurat *ignibus æther,*
*Bellaque* Ventorum *tremebundis flatibus inſtant.*
*Extimui primùm, ſed mox imitamina cernens,*
*Artificis tanti tacitus venerabar acumen.*
*O hominum natura ſagax! ô portio flammæ*
*Divinæ! quæ docta potes ſectarier ipſas,*

*Queîs orbis regitur, ſubtili indagine formas.*
WEIGELII *ingenium vaſti compendia mundi*
*Fingit, & exactâ modum ſtruit orbis amuſſi;*
*Imprimit & motus, jubet ut ſub nubila Phœbus*
*Concedat, plenoque typo, quas verus, eaſdem*
*Æmulus hîc ex aſſe vices imitetur Olympus.*
*O opus æthereum! meritis ſuper aſtra ferendum*
*Laudibus! ô dignum, quod poſtera ſecla celebrent!*
*Tale nec* acceſſu prono, *nec* motibus æquè
Continuis, *nec* mole *pari*, *nec* luce *coruſcâ*
*Divum*; *pergo*, *nec* Emphaſi, *ſpecieque* figuræ,
*Protulit ingenium Veterum Siculusve Magiſter.*
*Proh Superi! quantum hæc operis ſtructura profunda*

*Dexte-*

Digitized by Google

*Dexteritatis habet! tectos quot utrinque receſſus!*
*Subfugiens pavidus conficta tonitrua, tegmen*
*Hîc ſubeo:* Terram*que ſuis regionibus extra*
*Toto circuitu fuſam, complexibus intus*
*Exiguis video centri vice fungier. Aſt hîc*
*Obſtupeo,* Antipodas *verſis hinc inde vagantes*
*Verticibus capitum veſtigia nulla referre!*
*Miror &* Ignivomos *totidem eructare per antra*
Montes *conſimili flammas fumosque boatu.*
*Scilicet ut pleno* PANCOSMUS *jure vocari*
*Poſſit opus, Veſtæ meritò & penetralia pandit.*
*Fallor? an & plures alios conſpirat in uſus*
*Machina? Regrediar paulùm, faciemq; videbo:*

*Ex-*

Excelſum agnoſco SOLIUM, ſedemq; verendam
Invicti mediis ſtabilitam Regis in aſtris.
Ecce decus frontis! circum caput undique fulgent
Sidera, tardigrado ſe convertentia curſu.
Maximus Alcides atque ingenioſa Minerva,
Ille latus dextrum ſubiens, latus haec ſiniſtrum,
Pondera ſuſtentant firmis ſuffulta lacertis.
Nubibus ex niveis prope flammea corpora celſus
Effulget thronus ipſe gradu ſcandendus ab imo,
Auratisque nitens ornatibus, inde ſcabellum
Pone ſubit terras, aditumque clientibus offert.
O Proceres, noſtris quos Cœlo Numina terris
Immisére, Poli quos urget cura Paterni

Ar-

*Arctior, en! Superos hîc veſtris uſibus aptos!*
*Spectate exſculptum cœleſti ex orbe Theatrum.*
*Non humili capiet congeſtum ceſpite tegmen*
*Hoc decus: auguſtum culmen ſibi vendicat, illis*
*Proxima qui tangunt cœli faſtigia dignum.*
*Regales animos affinia ſidera primùm*
*Traxerunt, terræque DEOS Aſtræa parentes*
*Sortita excelſis natales ducit ab aulis*
*Heroum: ætherei partûs, quo compta ſuperbit*
*Uranie Divis propiùs qui ſanguine juncti*
*Heroës meritò natalia jura tuentur.*
*Vos ergò ætherea mentes, Vos Lumina mundi,*
*Suſcipite æthercam prolem, vultuque ſereno*
*Colluſtrate lares patrios & jura ſequentem.*

In-

*Indice ſic dabitur proprio diſcernere veſtram*
*Progeniem à populis: ſic aſtra domeſtica prompto*
*Cœligenos digito monſtrabunt: ipſa polorum*
*Hac ſpecie patriam veſtram palatia ſiſtent.*
*Te verò,* Decus Uraniæ, *felicibus auſis*
*Qui cœlum Terris infers, Te ſumma viciſſim*
*Laudibus extollet meritis* Typus orbis ad *aſtra!*

*Stylo*

Georgii Arnoldi Burgeri,
Phil. Mag. Mathem. hod.
Reip. Norib. Secret.

*Red.*

Digitized by Google

REdde ſyracuſias, audax Sicania, laudes;
nec tuus in parvo ſe jactitet æthera vitro
Incluſiſſe ſenex: jam noſtri gloria ſecli
Quod ſuperi mirentur habet, Germania felix
Æri gemmantes nitido componere ſtellas
Novit, & ingenio motus urgere perennes.
Vicimus! Æthereos prudens Weigelius orbes
exhibet, & vaſto mundum complectitur auſu.
Cerno Deos & jura poli, Phœbiq́; meatus,
Aſtrorum curſus, irati fulmina cœli,
Atque novum efficto tonitru Salmonea miror.

Docta

*Gratulationes.*

*Docta perennantis ſtructuræ dextera, Mater*
*Æmula Naturæ, Divorum filia, ſalve!*
*Nulla tuam vincat veterum ſolertia laudem,*
*Raraq; ſuſpiciant venturi inventa nepotes.*

*Lmq; f.*

Chriſtianus Gryphius.

AOI 146202l

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Gratulationes.

Docta perennantis ſtructuræ dextera, Mater
Æmula Naturæ, Divorum filia, ſalve!
Nulla tuam vincat veterum ſolertia laudem,
Raraq; ſuſpiciant venturi inventa nepotes.

Lmq; f.

Chriſtianus Gryphius.

A01 1162021

Digitized by Google